



SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE **BOLLETTINO**

HOLY SEE PRESS OFFICE BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIÈGE PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE SALA DE IMPRENSA DA SANTA SÉ
BIURO PRASOWE STOLICY APOSTOLSKIEJ دار الصحافة التابعة للكرسي الرسولي

N. 0485

Giovedì 17.08.2000

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL CONGRESSO EUCARISTICO NAZIONALE DEL PERÙ (LIMA, 30 AGOSTO-3 SETTEMBRE 2000)

LETTERA DEL SANTO PADRE ALL'INVIATO SPECIALE ALLE CELEBRAZIONI DEL CONGRESSO
EUCARISTICO NAZIONALE DEL PERÙ (LIMA, 30 AGOSTO-3 SETTEMBRE 2000)

In data 27 aprile 2000, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Bernard F. Law, Arcivescovo di Boston, suo Inviato Speciale alle celebrazioni del Congresso Eucaristico Nazionale del Perù, in programma a Lima nei giorni 30 agosto - 3 settembre 2000.

L'Em.mo Card. Bernard F. Law sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. Antonio Arcari, Consigliere della Nunziatura Apostolica a Lima;
- Rev.do Mons. Paul B. McInerny, Segretario personale del Card. Law;
- Rev.do P. Antonio Santarsiero, O.S.I., Superiore Provinciale degli Oblati di San Giuseppe
in Perù;
- Rev.do Sac. Salvador Piñeiro, Parroco di "Santa Rosa" in Lima.

Pubblichiamo di seguito la Lettera che il Santo Padre ha inviato al Card. Bernard F. Law:

Venerabili Fratri Nostro

BERNARDO FRANCISCO S.R.E. Cardinali LAW

Archiepiscopo Bostoniensi

Hominum quondam a conspectu digressus, sub panis specie manere voluit nobiscum ipse Dominus, supernum mentibus lumen animabusque exoptatum vigorem ut ministraret. Ex tanto enim sacramento fideles confirmati suam operam in cotidianis muneribus obeundis fortius studiosiusque praestare valent.

Prudenti de consilio novimus Congressum Eucharisticum Nationis Peruvianaе a die XXX mensis Augusti ad diem III mensis Septembris futurum. Celebratio ipsa perquam opportune incohabit cum Sollemnitas inibi celebrabitur sanctae Rosae de Lima. Fideles namque, praeclaris incitati praestantis huius caelitis exemplis, frequentes accedent Corporis et Sanguinis Christi mysterium veneraturi, memores prorsus solidae illius doctrinae, quae largiter est quondam allata, ubi primum christiana haec ad loca religio delata est.

Cupimus et Nos nostro quoque tempore pietatis hae testificationes ut confirmentur et fides solidetur, quo latius pleniusque Salvatoris hodierni homines fruantur salute et ipsi hoc divino de Sacramento uberrimos capiant fructus. Hoc namque convivium plurimum affert efficacitatis et ad maiora patrandam usque compellit, idque multum iuvat ut quisque Magni Iubilaei plenius adipiscatur beneficia.

Itaque congrua per suum Praesidem Excellentissimum Aloisium Armandum Bambarén Gastelumendi Peruvianis Fratribus petentibus Episcopis, ut ritus sollemnius explicaretur, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem Nostram admovimus, qui aptissimus visus es atque par ad ministerium hoc sustinendum et efficaciter gerendum. Ideo fraterna affectione permoti, te *Missum Extraordinarium* constituimus Nationis Peruvianaе ad Congressum Eucharisticum celebrandum.

Verba tandem Nostra transmittenda curabis et cohortationem ad Eucharistiae vehementiorem cultum itemque omnibus participibus benevolentiam Nostram significabis. Benedictionem demum Apostolicam Nostro nomine omnibus adstantibus largiaris copiose velimus, quae sit caelestis praesidii nuntiatrice et felicius temporis pignus.

Ex Aedibus Vaticanis die VIII mensis Iulii, anno MM, Pontificatus Nostri vicesimo altero.

IOANNES PAULUS II

[01692-07.01] [Testo originale: Latino]
